Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36641
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

aliquid significantes. daturi revelationes divinas quasdam ante predicati
ones prophetice factas. i. predicationes divinas in quibus aliquid antequam
fieret prophetice predicebatur revelantes. ut his videlicet qui dixe
runt cognitionem futurorum. vel his qui audierunt intelligentiam
dictorum ministrantes et in his omnibus sanctos viros sive ad rectam fidem
sive ad bonam operationem instruendo ad divinam cognitionem et par
ticipationem reducentes. Sequitur. Si autem quis dixerit et deum imme
diate fuisse quibusdam theophanias. discat et hoc sapienter ex sacra
tissimis eloquiis quoniam hoc quidem quod est dei occultum nemo vidit
neque videbunt. Si quis inquit contra hoc quod dixi divinas revela
tiones per angelos ad hominum cognitionem venire dixerit etiam angelis
non mediantibus nonnumquam quosdam sanctorum patrum ab ipsa divinitate reve
lationes accepisse. discat ex sacratissimis eloquiis hoc quod ipsum dei
occultum nemo videlicet neque videbunt. Si ergo quis hoc est aliquis dix
erit inde. i. a secreto divino fuisse scilicet factas quibusdam sanctorum theo
phanias. i. divinas apparitiones immediate hoc est primo loco in ip
sos descendentes nulla alia creatura mediante. si quis inquam hoc
dixerit discat ille etiam hoc sapienter intelligere ex sacratissimis
eloquiis quoniam nemo unquam vidit neque videbunt. occultum dei hoc
est divinam naturam que occulta est et ab omni sensu remota. vidit
dico. quid scilicet est hoc ipsum occultum. hoc est et si vidit in figura
non vidit in essentia. non vidit in specie. et si vidit in significatione.
Cumque hoc ex sacratissimis eloquiis cognoverit. intelligat quia
humana mens ad inaccessibilis lucis contemplationem per semetipsam
immediate accedere non potest. nisi theophaniis. i. apparitionibus
vel revelationibus divinis excitata sublevetur. Theophanie autem
sanctis facte sunt secundum decentes deum per quasdam sacras videntibus
proportionalium visionum manifestationes. Theophanie inquit
id est divine revelationes vel divinitatis revelationes sanctis facte
sunt. non hoc quidem modo ut mens humana in carne mortali posita et
intra sensum humanum constituta ad incomprehensibilem naturam contin
gendam immediate accederet sed facte sunt secundum quasdam sacras